

Bijlage VWO  
**2015**

tijdvak 2

**Latijn**

Tekstboekje

## Tekst 1

---

C. PLINIUS MAXIMO SUO S.

1 Amor in te meus cogit, non ut praecipiam (neque enim praeceptore eges),  
2 admoneam tamen, ut quae scis teneas et observes, aut nescire melius.  
3 Cogita te missum in provinciam Achaïam, illam veram et meram Graeciam,  
4 in qua primum humanitas litterae, etiam fruges inventae esse creduntur;  
5 missum ad ordinandum statum liberarum civitatum, id est ad homines  
6 maxime homines, ad liberos maxime liberos, qui ius a natura datum  
7 virtute meritis amicitia, foedere denique et religione tenuerunt. Reverere  
8 conditores deos et nomina deorum, reverere gloriam veterem et hanc  
9 ipsam senectutem, quae in homine venerabilis, in urbibus sacra. Sit apud  
10 te honor antiquitati, sit ingentibus factis, sit fabulis quoque. Nihil ex  
11 cuiusquam dignitate, nihil ex libertate, nihil etiam ex iactatione  
12 decerpseris. Habe ante oculos hanc esse terram, quae nobis miserit iura,  
13 quae leges non victis sed petentibus dederit, Athenas esse quas adeas  
14 Lacedaemonem esse quam regas; quibus reliquam umbram et residuum  
15 libertatis nomen eripere durum ferum barbarum est. Vides a medicis,  
16 quamquam in adversa valetudine nihil servi ac liberi differant, mollius  
17 tamen liberos clementiusque tractari. Recordare quid quaeque civitas  
18 fuerit, non ut despicias quod esse desierit; absit superbia asperitas. Nec  
19 timueris contemptum. An contemnitur qui imperium qui fasces habet, nisi  
20 humilis et sordidus, et qui se primus ipse contemnit? Male vim suam  
21 potestas aliorum contumeliis experitur, male terrore veneratio acquiritur,  
22 longeque valentior amor ad obtinendum quod velis quam timor. Nam  
23 timor abit si recedas, manet amor, ac sicut ille in odium hic in reverentiam  
24 vertitur. Te vero etiam atque etiam (repetam enim) meminisse oportet  
25 officii tui titulum ac tibi ipsum interpretari, quale quantumque sit ordinare  
26 statum liberarum civitatum. Nam quid ordinatione civilius, quid libertate  
27 pretiosius? Porro quam turpe, si ordinatio eversione, libertas servitute  
28 mutetur! Accedit quod tibi certamen est tecum: onerat te quaesturae tuae  
29 fama, quam ex Bithynia optimam revexisti; onerat testimonium principis;  
30 onerat tribunatus, praetura atque haec ipsa legatio quasi praemium data.

31 Quo magis nitendum est ne in longinqua provincia quam suburbana, ne  
32 inter servientes quam liberos, ne sorte quam iudicio missus, ne rudis et  
33 incognitus quam exploratus probatusque humanior melior peritior fuisse  
34 videaris, cum sit alioqui, ut saepe audisti saepe legisti, multo deformius  
35 amittere quam non adsequi laudem.  
36 Haec velim credas, quod initio dixi, scripsisse me admonentem, non  
37 praecipientem; quamquam praecipientem quoque. Quippe non vereor, in  
38 amore ne modum excesserim. Neque enim periculum est ne sit nimium  
39 quod esse maximum debet. Vale.

*Plinius, Ep. 8.24*

## Tekst 2

---

### C. PLINIUS PATERNO SUO S.

1 Confecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam, et quidem iuvenum.  
2 Solacia duo nequaquam paria tanto dolori, solacia tamen: unum facilitas  
3 manumittendi (videor enim non omnino immaturos perdidisse, quos iam  
4 liberos perdidit), alterum quod permitto servis quoque quasi testamenta  
5 facere, eaque ut legitima custodio. Mandant rogantque quod visum; pareo  
6 ut iussus. Dividunt donant relinquunt, dumtaxat intra domum; nam servis  
7 res publica quaedam et quasi civitas domus est. Sed quamquam his  
8 solaciis adquiescam, debilitor et frangor eadem illa humanitate, quae me  
9 ut hoc ipsum permitterem induxit. Non ideo tamen velim durior fieri. Nec  
10 ignoro alios eius modi casus nihil amplius vocare quam damnum, eoque  
11 sibi magnos homines et sapientes videri. Qui an magni sapientesque sint,  
12 nescio; homines non sunt. Hominis est enim adfici dolore sentire,  
13 resistere tamen et solacia admittere, non solaciis non egere. Verum de his  
14 plura fortasse quam debui; sed pauciora quam volui. Est enim quaedam  
15 etiam dolendi voluptas, praesertim si in amici sinu defleas, apud quem  
16 lacrimis tuis vel laus sit parata vel venia. Vale.

*Plinius, Ep. 8.16*

## Tekst 3

---

TULLIUS TERENTIAE SUAE ET PATER SUAVISSIMAE FILIAE, CICERO  
MATRI ET SORORI S. D. P.

1 Considerandum vobis etiam atque etiam, animae meae, diligenter puto  
2 quid faciatis, Romaene sitis an mecum an aliquo tuto loco. Id non solum  
3 meum consilium est sed etiam vestrum. Mihi veniunt in mentem haec:  
4 Romae vos esse tuto posse per Dolabellam eamque rem posse nobis  
5 adiumento esse si quae vis aut si quae rapinae fieri coeperint; sed rursus  
6 illud me movet, quod video omnes bonos abesse Roma et eos mulieres  
7 suas secum habere. Haec autem regio in qua ego sum nostrorum est cum  
8 oppidorum tum etiam praediorum, ut et multum esse mecum et, cum  
9 aberitis, commode et in nostris esse possitis. Mihi plane non satis constat  
10 adhuc utrum sit melius. Vos videte quid aliae faciant isto loco feminae et  
11 ne, cum velitis, exire non liceat. Id velim diligenter etiam atque etiam  
12 vobiscum et cum amicis consideretis. Domus ut propugnacula et  
13 praesidium habeat Philotimo dicetis. Et velim tabellarios instituatis certos  
14 ut cottidie aliquas a vobis litteras accipiam. Maxime autem date operam ut  
15 valeatis, si nos vultis valere. VIII Kal. Formiis.

*Cicero, Fam. 14.18*

## Tekst 4

*Tijdens een tussenstop op de terugreis van Griekenland naar Rome schreef Cicero onderstaande brief aan zijn secretaris Tiro, die hij bij een vriend in Griekenland ziek had moeten achterlaten.*

- 1 Paulo facilius putavi posse me ferre desiderium tui, sed plane non fero et, quamquam  
2 magni ad honorem nostrum interest quam primum ad Urbem me venire, tamen  
3 peccasse mihi videor, qui a te discesserim. Sed, quia tua voluntas ea videbatur esse,  
4 ut prorsus nisi confirmato corpore nolles navigare, approbavi tuum consilium neque  
5 nunc muto, si tu in eadem es sententia. Sin autem, posteaquam cibum cepisti, videris  
6 tibi posse me consequi, tuum consilium est. Marionem ad te eo misi, ut aut tecum ad  
7 me quam primum veniret aut, si tu morarere, statim ad me rediret. Tu autem hoc tibi  
8 persuade, si commodo valetudinis tuae fieri possit, nihil me malle quam te esse  
9 mecum; si autem intelliges opus esse te Patris convalescendi causa paulum  
10 commorari, nihil me malle quam te valere.

*Cicero, Fam. 16.1*

### Aantekeningen

regel 1 **desiderium tui** het gemis van jou

regel 2 **magni interest ad** (*het eerste ad in regel 2*) het is van groot belang voor

**honorem nostrum** *Hiermee wordt verwezen naar de triomftocht in Rome die aan Cicero was beloofd*

**quam primum** zo snel mogelijk

regel 3 **peccasse = peccavisse**

**ea** zodanig

regel 4 **prorsus** beslist

**nisi** behalve (*Verbind met confirmato corpore*)

**confirmando** aansterken

regel 5-6 **videris tibi** je denkt dat je

regel 6 **est** *Vul aan als onderwerp: id*

**Mario** *een slaaf van Cicero*

**eo** met de bedoeling

regel 7 **quam primum** zo snel mogelijk

**morarere = commorareris**

regel 7-8 **Tu autem hoc tibi persuade** + *A.c.I.* Wees er echter van overtuigd dat

regel 8 **commodo** + *genitivus* zonder schade voor

regel 9 **opus est** het is nodig

**Patris** in Patrae (*een stad in het westen van Griekenland*)

**paulum** een tijdje

regel 10 **nihil me malle** *afhankelijk van Tu autem hoc tibi persuade*  
(regel 7-8)